

DUBIUM III.

An persona Patris constituatur in ratione Personæ per Paternitatem secundum Ad; an secundum conceptum Ia?

IN duobus dubijs præcedentibus egimus de personis divinis in communi: restat ergo, ut de eis in particulari disceramus. Consultò tamen in hoc præsentis dubio de constitutivo Patris in ratione personæ nobis est sermo, quamvis omnia, quæ in eo dicenda sunt, possint, & debeant alijs personis applicari: tum, quia in Patre est specialis difficultas, quæ satis irretitam reddit hanc controversiam: tum & quia circa Patrem nulla alia difficultas se offert examine digna. Sed ante eius decisionem opus est pro eius clariori intelligentia aliqua adnotare; & alia, utpote apud Theologos, & maxime Thomistas indubitata, supponere.

S. I.

Nullæ suppositiones.

49 **S**upponendum est primò ut certum apud omnes, divinas personas, & consequenter personam Patris, habere sua propria constitutiva, quibus inter se opponantur, distinguantur, & reddantur incommunicabiles: ut constat ex illo, quod canit Ecclesia: *Ut in personis proprietates, in essentia unitas.* Et Synodo 6. general. ubi dicitur: *Spiritus sanctus non est Pater, nec Filius, propter altiferas trium proprietates.* Et probatur breviter: Quoties aliqua conveniunt, & simul inter se distinguantur, debemus assignare aliquam formam seu rationem, in qua conveniant, & aliam, per quam distinguantur; sed Pater habet aliquid, in quo convenit cum alijs personis divinis, & aliquid, per quod ab illis distinguitur: ergo debemus assignare formam constitutivam, & distinctivam illius. Nec obest contra hoc summa simplicitas illius. Quia Deus est summè simplex; & tamen constituitur per Deitatem, sicut concretum per abstractum. Ex quo inferitur, quòd sicut Deus constituitur realiter per Deitatem, quin ex hoc arguatur compositio nec realis, nec virtualis; pariformiter Pater per suam constitutivam ita constituitur, quòd & per illam constituitur realiter, & nullam admittat compositionem, eò quòd non se adinvicem excludant.

50 Supponendum est secundò, etiam ut indubitatum apud omnes, personam Patris constitui per illam formam, quæ est personalitas & forma hypostatica. Et ratio est: nam homo constituitur per humanitatem, Petrus per petreitatem: ergo persona etiam constituitur per personalitatem; & cum alijs apud SS. PP. idem

sit persona, quòd hypostasis; planè sequitur constitui per formam hypostaticam. Sed quia circa hanc formam potest esse dubium, an sit forma absoluta, an verò relativa:

51 Supponendum est tertio, contra aliquos antiquos, cum omnibus Thomistis, personam Patris non constitui per aliquam formam absolutam. Quòd probatur: tum ex Concil. Florent. sess. 18. ubi Ioannes Theolog. sic exclamavit: *Sola relatio apud omnes tam Græcos, quàm Latinos Doctores divina processione personam multiplicat, itaut in nulla alia ratione, quam in relatione Pater à Filio, ac una persona ab alia differat:* ergo si sola relatio distinguit, sola relatio constituit. Patet consequentia: quia idem est constitutum & distinctivum. Idem tradit Boëtius per hæc verba: *Substantia præbet unitatem, relatio multiplicat trinitatem.* Tum etiam: nam omne absolutum divinum importat ex se absolutam perfectionem: ergo si dantur tria absoluta divina distincta, debent concedi tres absolute perfectiones; sed est blasphemia concedere in divinis tres perfectiones absolutas realiter distinctas: ergo etiam erit concedere constitutiva personarum esse prædicata absoluta. Et licet peccatum commissionis sit in nostrâ sententia quid positivum nullam dicens pro expresso perfectionem; hoc est, quia dicit pro expresso deformitatem, quòd non habet locum in prædicato absoluto divino, ut ex se constat. Ex quibus omnibus inferitur, Patrem in ratione personæ constitui per aliquid de genere relativo.

52 Sed nota duo: Primum, quòd estò relationes divines, v. g. paternitas, sit infinita & simplicissima, includit in se plura munia, quæ estò non sint ex parte sui seu obiectivè diversa, & sic non præbeat aliquod fundamentum ad distinctionem virtuales, eò quòd pertineant ad eandem formalissimam lineam; possunt tamen appellari *plura* eminenter: ad modum quo in Deo sunt omnino idem essentia, intellectus, species, & intellectio, ut pluries diximus; & tamen fundant diversas eminentias, ratione quarum ex parte modi concipiendi distinguuntur. Huiusmodi autem in paternitate sunt conceptus *In* relativus, ratione cuius Pater intelligitur ad se seu ad naturam; & conceptus *Ad*, ratione cuius dicit expressum ordinem ad terminum. His potest aggregari expressio *originis*, & suppositione quòd origo dicat in recto relationem, in quo sensu videtur loqui D. Thomas in hac 1. part. quæst. 40. art. 2. in corp. Nam si ad hæreamus sententiæ probabiliori, quæ docet, originem importare in recto absolutam, & relationem tantum in obliquo, non debet collocari inter munera relativa, ut firmatum manet disp. 1. num. 41. poterit tamen eis aggregari innascibilitas, seu notio innascibilitatis, quia pertinet ad proprietatem relativam Patris, & de hac

potest debitari, an sit apta ad illum constitutum.

Quæ divisio munerum debet ab omnibus admitti. Tum, ut dicitur locus quæstioni. Tum, quia paternitas dicit respectum ad naturam, sub quo non exprimit respectum ad terminum. Tum denique: quia Carrasco illum permittit tam in hoc dub. quam in dub. 2. num. 15, & 16. contra quem firmabimus nostram sententiam. Similiter Ioannes à Sancto Thoma, nobis etiam in præcipuo puncto huius quæst. adversarius, illum concedit disp. 17. art. 3. à num. 8. ratione cuius, inquit, relationes importare perfectiones relativas; licet disp. 16. art. 1. à num. 31. asserat, non dari nisi conceptum *Ad* in quo planè sibi contrariatur; eum ex vna parte dicit, relationes dicere perfectionem relativam; & ex alia asserat, nullam dicere per conceptum *Ad*.

Nota secundò, personam Patris, & eius constitutum posse considerari dupliciter, vel prout est in se, nempe, quatenus concipitur conceptu perfectò & distincto à Beatis, & à nobis in hoc statu per conceptus perfectos Theologicos; vel quatenus concipitur à nobis imperfectè & per analogiam ad personam creatam, dempsit imperfectibus ex parte ipsius personæ: licet non omnibus pensatis pro expresso. Bene verum est, quòd Ioannes à Sancto Thoma hanc diversitatem tanquam inutilem rejicit: nam ait, constitutum non dependere ex eo, quòd perfectè, aut imperfectè Pater æternus concipiatur à nobis. Sed immeritò: nam non intendimus, quòd diversitas in concipiendo ponat diversitatem in re apprehensa, quòd erat necessarium, ut constitutum Patris esset diversum ex parte rei concepte; sed declarare volumus, quomodo apprehendimus illud constitutum, quando apprehenditur perfectè prout à Beatis, & quando apprehenditur imperfectè in via per conceptus confusos & imperfectos, etiam Theologicos adinstita persona create: Ut de natura angelica solent dicere N. Thomista, nempe, quòd concepta prout in se & adæquate non est universalis; & concepta imperfectè ad modum nature corporeæ (ut in hac via sæpe sæpius illam concipimus) est universalis: & in sententia ipsius Mag. conceptus *Ad* perfectè & adæquate conceptus concipitur tam signatè, quam exercitè; & imperfectè conceptus concipitur signatè, & non exercitè: in quo nihil absurdum continetur in eius sententia. His ita prænotatis:

53 Supponendum est quartò, personam Patris, quomodo cuicumque concipiatur, non constitui in ratione personæ per aliquem conceptum negativum, estò sit relativus, sicut est innascibilitas. Et ratio est: nam persona ut talis est quid positivum; sed innascibilitas est quid negativum: ergo nequit per eam constitui. Consequentia videtur legitima: nam positivum ut tale nequit constitui per negativum. Minor

etiam est certa: & admittitur ab omnibus Thomistis, contra Aureolum, & Suarez. Et merito: nam est expressa in Div. Thoma pluribus in locis, præcipue quæst. 33. huius 1. part. art. 4. ad 1. ubi ait: *Dicendum secundum Augustinum 5. de Trinit. quòd ingenuus negationem generationis passiva importat.* Hoc etiam suadet ipsa etymologia nominis: nam idem sonat, ac non esse genitum seu natum: quod est idem ac dicere, quòd non habet principium; à quo procedat: totum hoc quid negativum est. Maior evidenter probatur: Tum, quia est principium quòd operandi; sed per negationem nequit constitui in ratione principij quòd positivum operandi: ergo. Tum etiam: quia personalitas reddit personam incommunicabilem; sed hæc incommunicabilitas non fundatur in negativo, sed in positivo; cum omnis negatio fundetur in positivo, & in linea, in qua est negativum, præsupponi debeat positivum: quare enim homo non est irrationalis, nisi quia est rationalis? & quare Angelus non est corporeus, nisi quia est immaterialis? ergo.

54 Supponendum est quintò, Patrem in ratione Patris constitui per paternitatem, ut exprimit munus *Ad*. Ratio huius est brevis & clara: nam Pater reduplicativè ut Pater totus est ad Filium, siquidem nequit intelligi sine illo: ergo Pater ut Pater iam dicit formalissimam & propriissimam rationem relationis; sed hæc explicatur per conceptum *Ad*: ergo Pater ut Pater constituitur per paternitatem ut exprimit conceptum *Ad*. At quia, reduplicata significatione terminorum, aliter significatur Pater ut persona, & aliter ut Pater, ex quo etiam inferitur, quòd aliter significetur personalitas, & aliter paternitas; restat dubium, an Pater in ratione personæ constituatur per paternitatem sub munere *Ad*, hoc est, ut explicat paternitatem?

55 Pro quo supponendum est vltimò, personam Patris, ut apprehenditur perfectè à Beatis, vel à nobis pro hoc statu per conceptus perfectos & distinctos, quos adiuvi vera & perfectè Theologia adhuc in via possumus de persona Patris formare, constitui per conceptum *Ad*. Et ratio est: quia conceptus *In* & conceptus *Ad* non distinguuntur virtualiter; sed ex conceptibus virtualiter indistinctis & pertinentibus ad eandem lineam implicat, quòd vnus constituat personam, & alius sit extra constitutum, si concipitur adæquate & perfectè: ergo persona Patris concepta adæquate, & prout est in se, ita constituitur per conceptum *In*, ut vltimatè & formalissimè etiam constituatur per conceptum *Ad*.

Vnde tota difficultas reducitur ad illos duos præcipuos conceptus, circa quos est non parvum dissidium inter Theologos (si alius non est quæstio de nomine & de voce) nempe circa

conceptum *In* & *Ad*, & circa conceptum *originis*, admisso quod origo importet in recto relationem, sicut de origine passiva probabilis asserimus disp. 1. num. 45. Nam si origo consistit in recto in actu absoluto connotante relationem, absque dubio persona Patris non constituitur per eam.

56 Circa quam difficultatem tres reperiuntur sententiae. Prima asserit, personam Patris constitui per originem activè sumptam connotantem relationem. Ita D. Bonav. in 1. dist. 26. quaest. 2. & Richard. à Sancto Victore lib. 4. de Trinit. cap. 15. Secunda docet, Patrem constitui per conceptum *Ad*. In qua sententia primus levavit vexillum Emin. Caiet. quem postea sequuti sunt Ioann. à Sancto Thoma, Carrafeo, & alij in Manuscriptis, inter quos est Illustriſſ. mihiq; semper Venerandus Montalvan. olim vespertinae Cathedrae in alma Salmanticensi Academia dignissimus Moderator; deinde Accitanus, & tandem Placentinus Vigilantissimus Antistes. Tertia demùm distinguit, ut supra notavimus, in relatione conceptum *In* & conceptum *Ad*, & defendit, quod paternitas constituit Patrem in ratione *personae* per conceptum *In*: Quia per hunc conceptum praestant omnia munera, quae requiruntur ad rationem *personae*, nempe, consistere illum subsistentem, incommunicabilem, principium quod operationum, praecedereque generationem: & sic salvat ad litteram omnia testimonia D. Thomae. Ita Illustriſſ. Godoy, Goner, Lezana, Lardito, & alij. Nostram verò mentem duabus assertionibus explicamus.

§. II.

Prior assertio.

37 **D**icendum est primò, personam Patris, quomocumque sumatur, non constitui in ratione *personae* per paternitatem consideratam per modum *originis*, adhuc admisso quod origo importet in recto relationem. Haec assertio expressè traditur à D. Thoma infra quaest. 40. art. 2. Cuius ratione probatur: Nam origo activè sumpta concipitur vt egrediens à persona tanquam à principio quod, sicut origo passiva concipitur vt via ad personam tanquam ad terminum qui: nam sicut passiones sunt suppositorum, sic actiones; sed actio supponit principium, à quo egreditur, sicut passio tendit ad terminum, quem producit: ergo paternitas considerata per modum *originis* non constituit Patrem in ratione *personae*, sicut nec filiatio per modum *originis* passivè Filium. *Explicatur*: Quod constituit personam, eam formaliter distinguit, sed persona Patris non distinguitur formaliter ab alijs per paternitatem per modum *originis*; ergo. Probatur min. Quod

distinguit Patrem, debet concipi vt manens permanentem in ipso Patre, sicut ipse Pater permanentem est talis; sed origo non concipitur vt manens permanentem in Patre, cum concipitur vt egrediens à Patre, & vt via ad Filium: ergo.

58 Sed insurgit contra hoc gravis obiectio: Nam intellectio primordialis Dei concipitur vt egrediens ab intellectu divino; & tamen in nostra sententia est constitutiva naturae divinae: ergo & quod origo concipitur vt egrediens à persona, non tollit: quod sit constitutiva personae. ¶ Nec valet, si dicas, intellectiorem divinam non consistere ex parte rei conceptae in aliquo esse viali, & egrediente, sicut ex modo concipiendi, & connotativè ad nostrum *intelligere* concipitur à nobis vt egrediens: origo verò, quia est vera productio à parte rei, etiam ex parte rei conceptae concipitur vt egrediens; & sic nullo modo queit consistere personam. Non, inquam, valet: Quia non est ratio, quare origo ex parte rei conceptae concipitur vt egrediens; & intellectio praecise ex modo concipiendi: ergo vel origo est constitutiva personae, vel intellectio non est constitutiva Dei. Probatur antecedens: Nam sicut intellectio ex parte rei conceptae non distinguitur à seipsa virtualiter sub munere *egressionis*, & sub munere *ultima actualitatis*, seu perfectissimae, & actualissimae uniois: ita paternitas sub concepta *relationis* non distinguitur virtualiter ex parte rei conceptae à seipsa sub munere *egressionis*; cum haec duo munera pertineant ad eandem lineam relativam. ¶ Adde primo: Nam inter formalitates pertinentes ad eandem lineam, illa intelligitur cum fundamento in re ultimatum constitutum, quae est ultima in tali linea (qua ratione intellectio actualis intelligitur in nostra sententia ultimatum constituens naturam divinam) sed paternitas per modum *originis* est ultima forma malitas illius: ergo si Pater constituitur per paternitatem, melius explicabitur constitui per illam sub expressione *originis*, quam sub expressione *relationis*. ¶ Adde secundò: Nam si sub munere *originis* non constituit Patrem, propter inconveniens allatum, sequuntur duo. Primum quod paternitas sub munere *Ad* seu *relationis*, non illam constituit. Tum, quia sub hac expressione non concipitur vt inhaerens, sed vt ad aliud. Tum, quia supponit originem. Secundum, quod natura divina ex modo concipiendi non constituitur per intellectiorem actualem; cum concipitur vt egrediens.

59 Ad hanc obiectiorem, estò difficilem: Respondetur sustinendo solutionem inter argumentum datum. Et vt eius replicè fiat factis: fatemur, paternitatem sub hac expressione, non distingui adhuc virtualiter à seipsa sub munere *originis* (in sensu quo de ea procedit haec assertio) sicut de intellectu sub munere *radicis*, & *ultima actualitatis* pronunc supponimus. At

in

in intellectu divina nosse intellectus nullum invenit fundamentum ex parte rei conceptae, vt sub munere *egressionis* sit extra constitutum naturae divinae: quia concipitur vt in via ad seipsam vt perfectissimam unio, contemplatio, & actualitas: sub quo munere, quia dicitur esse quietum, & fixum non ordinatum ad aliquod extrinsecum; & aliàs est ultimum complementum lineae intellectuales, quae in communiori sententia est prima in Deo, est ultimum & perfectissimum constitutum naturae divinae: ac proinde cetera munia antecedentia, inter quae computatur manus *operationis*, concipiuntur à nobis, vt conceptus inadéquati, viales, & potentiales in ordine ad ipsam intellectiorem sub munere *ultima actualitatis*, & intra eandem lineam.

Ceterum origo activè nequit concipi ex vna parte in statu quieto & fixo; & ex alia non concipitur vt in via ad aliquid fixum in generare, sed ad ipsum genitum: Oportet ergo, quod pro priori ad originem concipiamus aliquid quietum & fixum, quod sit constitutum Patris in ratione *personae*. Et haec est ratio, quare origo sub ratione *talis* est extra constitutum adaequatum personae, non verò intellectio sub munere *egressionis*. ¶ Maxime, quia origo ex parte rei conceptae potest concipi vt egrediens à persona. Tum, quia estò non distinguitur virtualiter à relatione; est tamen vera & realis productio, & via ad terminum. Tum, quia cum fundamento in re distinguitur à persona concretive sumpta ratione naturae, & intellectus. Quod de intellectu sub munere *egressionis*, nec comparative ad seipsam, vt est ultima actualitatis: nec comparative ad naturam divinam, quae est principium radicale, verificari valet. Unde male vidit Ferre cum alijs Nostris Salmant. qui asserunt (vt inquit ille) intellectiorem sub munere *egressionis* distingui virtualiter adaequate à seipsa vt est contemplatio, compararique ad illam vt attributum Dei: Quia oppositum asserunt in tract. 6. disp. 18. dub. 3. Nisi velimus eos trahere ad hunc sensum, nempe quod respectu naturae divinae conceptus per conceptus nostros Theologicos imperfectos comparatur vt attributum. Sed in hoc sensu sub munere *ultima actualitatis* etiam comparatur vt attributum; cum haec expressio, tpoèe ultima praesupponat illam, in quo convenit cum origine: Non verò si concipitur per conceptus perfectos Theologicos, ob rationem praefatam, in quo discriminatur à paternitate sub munere *originis*. Per quod constat ad primum additamentum.

Ad secundum (quatenus includit illa duo inconvenientia) respondetur negando antecedens, secundum id quod tangit de primo. Et ad primum eius probationem respondetur, quod estò paternitas sub expressio *manere ad* sit ad

aliud, est tamen quid intrinsecum quietum, & fixum respectu Patris, quod de origine vt tali verificari nequit. Ad secundum dicimus, paternitatem sub munere *ad* supponere originem ex modo concipiendi, non verò ex parte rei conceptae; & sic ex hoc tantum probatur, quod ex imperfecto modo concipiendi non constituit personam, quod erit praecipuum assertum in conclusione secunda. Oportet tamen utroque modo supponit personam, & sic non est par ratio. Ad secundum inconveniens iam constat ex supra dictis, quin sit necessarium aliquid addere.

§ III.

Posterior assertio.

60 **D**icendum est secundò, personam Patris, prout concipitur à nobis per conceptus imperfectos Theologicos in via, constitui metaphysicè per paternitatem secundum conceptum *in*, non verò secundum conceptum *ad*. Ita praeter Autores relatos num. 56. pro tertia sententia, sentire videntur N. Salm. disp. 18. dub. 4. §. 3. quatenus ex vna parte excludunt à ratione constitutivi conceptum *ad*, & ex alia pluribus in locis in hoc tractatu admittunt conceptum *in* relatione. Unde de eorum mente nullus cordatè dubitare queit circa constitutum Patris per conceptum *in*.

Et probatur haec conclusio aliquibus testimonijs D. Thomae. Primum habetur infra q. 40. nuper relata art. 4. in corp. circa finem, ubi sic ait: *Proprietas personalis Patris potest considerari dupliciter: uno modo, ut est relatio, & secundum intellectum praesupponit actum notionalem, quia relatio in quantum huiusmodi fundatur super actum: alio modo secundum quod est constitutiva personae; & sic oportet, quod praetelligatur relatio actui notionali, sicut persona agens praetelligitur actioni.* In quo testimonio duo notare debes: primum, quod paternitas vt relatio praesupponit actum notionalem. Secundum, quod illum praesupponit secundum intellectum, hoc est, ex nostro modo concipiendi: ergo in hoc sensu relatio sub conceptu expressio *relationis*, nempe sub expressio munere *ad*, secundum D. Thomam non constituit Patrem in ratione *personae*.

61 Nec refert, si respondeatur ad hoc testimonium ex doctrina Adversariorum dicendo, quod D. Thomas solum intendit relationem sub exercitio referendi praesupponere actum notionalem: cum quo optime componitur antecedere generationem sub expressio munere *ad* signatè sumptum. Non, inquam, refert: tum, quia Div. Thomas absque distinctione relationis sive in actu signato, sive exercitio asserit, quod relatio vt relatio praesupponit actum notionalem. Tum etiam,

nam;

nam D. Thomas ibi comparat Paternitatem divinam, vt relatio est, cum paternitate creatæ, sed paternitas creatæ siue signatæ, siue exercitæ accepta præsupponit actum notionalem: ergo etiam Paternitas divina sub expresso munere relationis. Sed ad hanc impugnationem iterum redibit sermo. Tum denique: nam in eodem signo, in quo intelligitur relatio signatæ sumpta, debet intelligi relatio exercitæ accepta, cum nequeat forma communicari alicui subiecto, quin communicet suum effectum formalem, & effectus primarius relationis, vt relatio est, seu secundum munus ad, est referri in actum secundum ad terminum: ergo pro priori ad actum notionalem, vel non debet intelligi relatio, vt relatio est in actu signato, vel debet intelligi in actu exercitæ. Sed de hac impugnatione etiam iterum redibit sermo.

62 Secundum desumitur ex his, quæ tradit Ang. Mag. ex Magno Parente Aug. qui lib. 7. de Trinit. cap. 6. dixerat de persona Patris: *Ad se quippe dicitur persona Patris, non ad Filium, vel Spiritum sanctum.* Quæ verba sic exponit suus fidelissimus discipulus in 1. dist. 23. quæst. vnica, art. 3. ad 3. per hæc verba: *Dicendum, quod Augustinus attendit significationem persone quantum ad modum significandi, & non inquantum ad id, quod significatur; & idem quantum significatur relatio; quia tamen significatur per modum substantiæ, idem dicitur, quod significat substantiam.* Hæc verba Augustini eodem modo exponit quæst. 9. de Pot. art. 4. ad 3. vbi ait: *Dicendum, quod hoc provenit ex formali significatione persone, quod ad se dicitur, & ad aliud non refertur.* Ex quibus autoritatibus hoc breve formatur ratiocinium. Relatio vt relatio, seu secundum ad nequit intelligi sine ordine ad terminum, ita vt si relatio consideratur signatæ, consideretur etiam signatæ terminus; si exercitæ, exercitæ: hoc etiam admittunt Adversarij; sed Paternitas, vt constituit personam, vnice concipitur à se, & excludit pro expresso ordinem ad terminum secundum mentem Augustini & D. Thomæ: ergo relatio sub munere ad, quomodocumque consideretur, non constituit personam ex nostro imperfecto modo concipiendi.

63 Tertium testimonium desumitur ex hac 1. part. quæst. 29. art. 4. ad 1. vbi ait: *Dicendum, quod hoc nomen persona dicitur ad se & non ad alterum, quia significat relationem non per modum relationis, sed per modum substantiæ, quæ est hypostasis.* Ex quibus verbis sic arguitur: illud est constitutum Patris in ratione persone, quod primario significatur per hoc nomen *persona*; sed in divinis per hoc nomen *persona* significatur primario & formaliter relatio per modum substantiæ, non per modum relationis, hoc est, non quatenus est ad alterum, sed quatenus est ad se: ergo non consti-

tuitur per conceptum ad. Hæc testimonia & alia eiusdem tenoris, quæ relinquimus brevitatibus causa, & quia possunt videri in N. Salm. in hoc tract. disp. 8. dub. 3. ad eod. non convincunt, vt fateamur hanc sententiam esse in Schola Divi Thomæ probabiliorē, imò audent dicere in via eius contrariam esse improbabilem.

64 Et probatur hæc conclusio ratione fundamentali: nam forma constitutiva Patris in ratione persone est ad eod. emmens, vt æquivaleret personalitati creatæ, & relationi creatæ: ergo Pater, vt concipitur à nobis imperfecte, diverso modo constituitur per hæc formam, vt correspondet persone creatæ, ac vt correspondet relationi creatæ; sed persona creatæ non constituitur per relationem in ratione persone: ergo persona Patris vt talis, etsi constituitur per relationem, non constituitur per illam sub expresso munere referendi, seu ad. Omnia quæ continentur in hoc ratiocinio constant præter viciniam consequentiam, quæ sic probatur: nam persona creatæ est ad se, & non ad aliud: ergo supposito quod Pater divinus constituitur in ratione persone per relationem, debet ex nostro imperfecto modo concipiendi, & per analogiam ad personam creatam constitui per illum conceptum, qui non exprimit esse ad aliud; sed talis est conceptus in, & non conceptus ad: ergo persona Patris in ratione persone non constituitur iuxta nostros conceptus imperfectos per munus ad, sed per munus in.

Confirmatur primo, seu magis hæc ratio expenditur: nam personam Patris non concipimus pro hoc statu, & per conceptum imperfectos, nisi ad instar persone creatæ; sed in creatis persona præsupponitur iam constituta ante generationem, & hæc ad relationem Paternitatis, vt est ratio fundandi illam: ergo iuxta eundem modum imperfectum concipiendi prius debemus concipere personam Patris in ratione persone constitutam, quam concipiamus generationem, & relationem, vt talem, in ipsa fundatam: ergo non concipimus, personam Patris constitui in ratione persone per conceptum ad, sed per conceptum in. Probatur vtraque consequentia: nam supposito, quod constituitur per relationem, maior analogia reperitur inter Paternitatem, & personalitatem creatam ex vna parte, & inter Paternitatem divinam secundum conceptum in, & ad, quam inter illas, & Paternitatem divinam præcisè secundum conceptum ad: cum iuxta hunc modum concipiendi, sicut personalitas creatæ est quid absolutum, & præcedit generationem, & relationem, sic Paternitas divina secundum munus in concipitur ad instar absoluti, & præcedit generationem & seipsam secundum munus ad: quod non ita facile percipitur, si munus ad est constitutum persone divinæ, vt ex se constat.

Confirmatur secundò: Diverso modo de-

berus concipere personam Patris in ratione persone, & eius constitutum, quando concipimus illam, vt concipitur à Beatiss. vel à nobis perfecte, quam cum concipimus illam imperfecte per analogiam ad personam creatam; sed persona Patris, vt concipitur perfecte, concipitur constituta non solum per conceptum in, sed etiam per conceptum ad: ergo vt concipitur imperfecte, non concipitur constitui per conceptum ad, sed tantum per conceptum in. Maior constat: nam diversus conceptus obiectivus correspondet modo nostro imperfecto concipiendi, ac modo perfecte concipiendi. Minor pronuncie supponitur. Et consequentia patet, cum non possit facile assignari alia diversitas.

65 Huic solido fundamento potest responderi ex doctrina Adversariorum, tantum probare, Patrem non constitui in ratione persone per conceptum ad sub exercitæ referendi: hoc enim evidenter convincunt tam ratio nostra, quam confirmationes. Sed cum hoc stat, quod in actu signato conceptus ad constituit personam: quia per hunc conceptum & signatæ, & exercitæ acceptum salvatur ex vna parte: tum illa æquivalentia, quam præcedimus in relatione divina respectu personæ creatæ, & relationis creatæ; si dicatur, quod relatio divina sub munere ad in actu signato æquivaleret personalitati creatæ, & in actu exercitæ relationi creatæ. Tum etiam: quia sicut personalitas creatæ præsupponitur ad generationem, & hæc ad relationem creatam; sic paternitas divina secundum munus ad signatæ sumptum antecedit generationem, & seipsam exercitæ acceptam. Tum denique: quia imperfecte intellecta intelligitur tantum constitui per ad signatæ sumptum, cum concepta perfecte intelligatur constitui per conceptum ad tam signatæ, quam exercitæ consideratam. Ex alia parte conceptus in non reddit personam incommunicabilem, & consequenter nec illam distinguit. Sic Ioannes à Sancto Thoma, & Carrasco.

Hæc tamen solutio ex omni capite efficaciter refellitur contra hos Authores, incipiendo ab ultimo capite, ex cuius impugnatione facilis paratur via ad alia impuganda. Nam conceptus in est omnino incommunicabilis, sicut conceptus ad; hoc supposito melius per illum explicatur analogia persone divinæ cum persona creatæ: ergo per illum vnice debet constitui. Minor cum consequentia, si vera est maior, nequit enim fundamentum negari, vt infra patebit. Maior, in qua est difficultas, probatur primo ad hominem contra Carrasco: nam sic asserit contra Ioannem à Sancto Thoma, relationes divinas non dicere perfectionem relativam nec secundum conceptum in, nec secundum conceptum ab ob rationem generalem Thomistarum, nempe, quod aliqua perfectio esset in vna persona, quæ non esset in alia; sed hæc ratio nequit viliam

habere vim, si conceptus in est communicabilis: ergo Carrasco, ne sibi adverteret, fateri debet, huiusmodi conceptum esse incommunicabilem. Minor probatur: nam si relationes solam secundum in dicunt perfectionem, & aliàs iste conceptus est communicabilis, nulla est perfectio in Patre, quæ non sit in Filio, nec in Patre & Filio, quæ non sit in Spiritu sancto. Et hoc modo defendit Sancto Thoma suam singularem sententiam inter Thomistas.

66 Deinde impugnatur contra Ioannem à Sancto Thoma: Nam conceptus ad in eius, & omnium sententia, est incommunicabilis: ergo etiam conceptus in. Probatur consequentia: nam iuxta illius, & communem Theologorum sententiam implicat admittere communicari alicui subiecto formalitatem aliquam pertinentem ad aliquam lineam, & non communicari non solum identicè, verum & formaliter omnes alias formalitates pertinentes ad talem lineam, cum ex parte rei conceptæ, seu ex parte obiecti sit eadem indivisibilis formalitas absque distinctione virtuali. Vnde licet inter formalitates cum fundamento in re virtualiter adæquate distinctas optime noceant Theologi, quod vna est realiter communicabilis, & alia incommunicabilis, vt contingit in essentia divina & relatione; non vero inter expressiones, quæ tantum nostro modo imperfecto concipiendi distinguuntur; sed conceptus in & ad in sententia huius Authoris continent ad eandem lineam relativam, qua ratione motus, inquit, relationes dicere perfectionem relativam: ergo si conceptus ad est incommunicabilis, etiam conceptus in.

67 Vterius impugnatur prædicta doctrina tradita à Ioanne à Sancto Thoma, & Carrasco: Nam conceptus in relativus in paternitate distinguitur realiter à tota filiatione: ergo est incommunicabilis. Probatur antecedens: tum, quia ex parte rei conceptæ est eadem formalitas cum conceptu ad; sed conceptus ad distinguitur realiter à filiatione: ergo etiam conceptus in relativus. Tum etiam: quia huiusmodi conceptus in non solum ex parte rei conceptæ ob omnimodam identificationem cum conceptu ad, sed etiam secundum id quod dicit ex se, est formaliter relativus, licet ex modo concipiendi imperfecto significetur per modum absoluti: ergo distinguitur realiter à filiatione. Patet consequentia: nam si est formaliter relativus, dicit formaliter oppositionem relativam, licet illam non exprimat nisi ratione ad: ergo distinguitur realiter à termino, nempe à filiatione. Tum denique: nam paternitas est entitas virtualiter ex parte obiecti diversæ ab entitate essentia, & realiter ab entitate filiationis: ergo distinguitur realiter illa ab illa non solum secundum conceptum ad, sed etiam secundum in relativum. Consequentia constat: nam multiplicata entitate, oportet, quod om-

nec conceptus ab illa provenientes multiplicentur.

68 Ex his iam patet via ad impugnandam solutionem quoad alia capita: Nam semel concessio, quod conceptus *In* paternitatis est incommunicabilis Filio, melius percipitur ex nostro modo concipiendi aequalentia paternitatis divinae per conceptum *In* & *Ad* respectu personalitatis creatae, & relationis creatae: praecedentia paternitatis divinae secundum conceptum *In* respectu actus notionalis, & quod conceptus *Ad* in hoc fundetur: & tandem differentia, qua per illam constituitur persona Patris ut concepta adaequate & perfecte, & ut concepta inadaequate & imperfecte; quam per ipsum conceptum *Ad* signate & exercite consideratam: ergo non per conceptum *Ad* sed tantum per conceptum *In* relativum debet Pater constitui in ratione *personae* nostro imperfecto modo concipiendi.

69 Ex his etiam formatur secunda ratio probativa nostrae conclusionis: Nam per illum conceptum debet constitui Pater in ratione *personae*, per quem primo distinguitur ab alijs personis; sed per conceptum *In* primo distinguitur Pater ab alijs personis ex nostro imperfecto modo concipiendi: ergo iuxta hunc modum imperfectum concipiendi debet per conceptum *In* constitui in ratione *personae*. Maior admittitur ab omnibus Theologis: & merito, quia est certa ex duplici capite: Primo, quia ut tenet commune axioma, idem est constitutum & distinctivum: qua ratione quando D. Thomas loquitur de relationibus in ordine ad personas, indifferenter loquitur de illis ut constitutivis, & ut distinctivis, ut patet in illis verbis, quae habentur in hac quaest. 40. art. 2. in corp. ubi sic ait: *Sic autem relationes distinguunt, vel constituunt hypostasies, vel personas.* Similia verba habet ibidem, dum dicit: *Nomen Patris significat relationem, quae est constitutiva & distinctiva hypostasis.* Et art. 3. sequenti in corp. inquit: *Cum igitur relatio sit, quae distinguit hypostasies, & constituit, ut dictum est.* Secundo: quia si primo distinguitur ab alijs personis, vel non distinguitur ab illis per alium conceptum posteriorem, cum supponatur distinctus: vel erit quaedam distinctio secundaria, & consequenter non constitutiva.

Minor probatur: nam sub illo conceptu persona Patris per se primo distinguitur ab alijs, sub quo constituitur per se primo in ratione subsistentis incommunicabilis Filio: sed per conceptum *In* per se primo constituitur in ratione subsistentis incommunicabilis Filio: ergo per illum per se primo distinguitur a Filio. Minor probatur: nam conceptus *In* ex una parte est incommunicabilis: ex alia est conceptus anterior conceptu *Ad*: ergo per conceptum *In* constituitur per se primo in ratione subsistentis in-

communicabilis Filio. Maior patet ex dictis. Minor probatur: tum ex communi placito Theologorum, imò & Adversariorum. Tum & quia relatio prius intelligitur respicere per conceptum *In* naturam, in qua est, quam per conceptum *Ad* respicere terminum.

70 Huic rationi respondent Adversarij, concedendo maiorem; & negando minorem. Ad cuius probationem negant min. semper enim insilunt in eo, quod conceptus *In* est incommunicabilis, ac proinde non reddit personam subsistentem incommunicabiliter. Unde per se primo redditur incommunicabilis per conceptum *Ad* licet ex nostro imperfecto modo concipiendi hic possit concipi in actu signato, in quo sensu per se primo distinguitur; vel sub exercite referendi, in quo sensu iam supponit personam, & incommunicabilem, & distinctam.

Hec evasio sufficienter erat praclusa ex dictis a num. 66. Sed adhuc efficacius refellitur. Tum: quia conceptus *In* a parte rei est incommunicabilis Filio: ergo est, qui primo distinguitur personam nostro imperfecto modo concipiendi. Antecedens probatur: nam conceptus *In* & conceptus *Ad* est tam formaliter, quam virtualiter ex parte sui idem indivisibilis conceptus; sed conceptus *Ad* a parte rei est incommunicabilis Filio: ergo etiam conceptus *In*. Consequentia est legitima: nam iuxta communem sententiam Theologorum, ut de eadem formalitate ad intra verificetur, quod est communicabilis, & non incommunicabilis, requiritur aliqua distinctio ex parte rei conceptae, seu ex ipse formalitatis, & non tantum ex modo nostro imperfecto concipiendi. Tum etiam: nam conceptus *In* ut potest relativus non respicit subiectum silendo in illo (alias non esset formaliter relativus) sed trahendo illud ad terminum, & quasi initiative referendo ad illum: ergo dicit oppositionem relativam initiativam, sed hoc sufficit, ut sit incommunicabilis: ergo. Minor probatur: Nam qualibet oppositio relativa inducit incommunicabilitatem, nisi non esset oppositio relativa. Tum denique: haec enim est regula generalis apud Theologos, quod ea, quae conveniunt personis divinis ratione illius essentiae, dicuntur tantum singulariter, sicut unus Deus, unus omnipotens, unus immensus: quae vero conveniunt ratione relationum, dicuntur pluraliter; sed conceptus *In* relativus convenit personis ratione relationis, & proprietatis personalis, cum sit formalitas dimanans ab illa: ergo multiplicatis relationibus, eodem modo multiplicentur conceptus *In*: ergo distinguuntur realiter sicut relationes.

71 Insuper refellitur praedicta evasio, quantum ad id quod tangit de relatione in actu signato, & exercite: Nam pro priori ad generationem non intelligitur vltimo modo conceptus *ad* nec signate, nec exercite: ergo non constituitur

nec

nec distinguit per se primo personam. Antecedens probatur primo: Nam pro priori ad generationem nondum intelligitur Filius nec signate, nec exercite: ergo nec munus *ad* paternitatis potest concipi nec signate, nec exercite. Consequentiam debent admittere Adversarij: quia in eorum sententia Pater *ut Pater* nequit adhuc signate concipi, quin in eodem signo concipiatur Filius signate: sicut nequit Pater in aliquo signo intelligi exercite *ut Pater*, quin exercite intelligatur Filius, pro quo videatur Carrato in prae. num. 21. Antecedens probatur: Implicat intelligi Filius adhuc signate, ubi non intelligitur entitas filiationis: sicut implicat concipi in aliquo signo, seu subiecto formam aliquam signate, si non dum intelligitur entitas illius producta; sed pro priori ad generationem nondum intelligitur entitas filiationis producta: ergo pro priori ad generationem nondum intelligitur filiatio signate sumpta.

Secundo probatur idem antecedens: Si intelligeretur in signo priori conceptus *Ad* signate acceptus, etiam conciperetur exercite sumptus; sed pro priori ad generationem in sententia contraria non intelligitur conceptus *Ad* sub exercite referendi: ergo nec in actu signato. Sequela probatur: Omnis forma sive absoluta, sive relativa, in quocunque signo concipiatur vnitae suo subiecto, maxime connaturali, debet tribuere suum effectum primarium, & essentialem; adaequatum, si est capax; inadaequatum, si non est capax adaequatum; sed effectus formalissimus, & essentialis relationis sub munere *Ad* est exercitum referendi: sicut effectus essentialis, & formalissimus actionis est agere: ergo sicut in nullo signo potest concipi entitas actionis, quin intelligatur exercitum agendi: ita repugnabit, quod concipiatur munus *Ad* pro priori ad generationem communicatum subiecto, quin communicet exercitum referendi.

Explicatur hoc: Ita se habet causa efficiens in suo genere in ordine ad suum effectum, sicut causa formalis in ordine ad suum: imò maior connexio percipitur inter effectum primarium formae, quam inter causam efficientem & suum effectum, cum iste distinguitur realiter tam a causa, quam a causalitate, & effectus causae formalis sit ipsa causa communicata; sed nequit intelligi in aliquo signo causa efficiens & eius causalitatis, quin datur exercitum producendi effectum: inintelligibile est concipi causam *ut agentem* & nihil agere: ergo etiam repugnat intelligi in aliquo signo causa formalis *ut communicata subiecto*, quin intelligatur effectus illius quoad exercitum; sed effectus formalis, essentialis, & primarius relationis quoad munus *Ad* est referri in actu secundo ad terminum, sicut effectus albedinis dealbare: ergo in signo in quo intelligitur munus *Ad*, debet etiam intelligi exercitum referendi; sed pro priori ad generationem non in-

Paul. T. vlt. Salm. Tom. II.

intelligitur in sententia contraria exercitum referendi: ergo nec debet intelligi conceptus *Ad* adhuc in actu signato.

72 Sed respondebit haec impugnationi, saltem esse, quod non possit concipi forma communicata subiecto, quin intelligatur exercitum effectus illius. Scientia enim Dei pro priori ad decretum intelligitur quasi in actu signato, seu in actu primo, ut est visiva futurorum; & tamen in actu exercite in illo signo non est introductiva illorum praecise ob defectum termini. Insuper paternitas creata ita terminatur quoad exercitum ad primum filium, quod ante existentiam secundi concipiatur in actu signato, seu in actu primo in ordine ad illum, desinitque exercitum referendi in ordine ad illum ob defectum termini. Tandem species angelicæ inditæ Angelo in primo instanti suae creationis sunt, quantum sunt ex se, representativa singularium; & tamen, antequam existant, non communicant exercitum representandi ob defectum obiecti. Pariter ergo posset dici de conceptu *Ad* paternitatis divinae pro priori ad generationem.

Sed contra insurgo retorquendo haec exempla contra respondentem: Nam paternitas creata nequit intelligi communicata subiecto, nisi supposita existentia termini formalis, & sub exercite referendi ad illum: cum relatio *ut talis* ad sui existentiam petat existentiam termini ad minus formalis, *ut trahunt communiter Logici.* Similiter scientia Dei nequit intelligi pro priori ad decretum, nisi pro illo signo intelligatur terminus formalis, vel quasi formalis illius, respectu quorum exercet officium & exercitum cognoscendi: qui terminus ex parte Dei est sua essentia, & ex parte creaturarum creatura possibilis. Et tandem repugnat species angelicæ in aliquo signo communicata subiecto, quin in actu secundo, seu exercite sit representativa singularium sub statu possibilitatis, & naturae universalis, quae sunt terminus formalis illius speciei; sed effectus formalis paternitatis sub munere *Ad* est in actu secundo referri ad filium: ergo pro priori ad generationem, vel non intelligitur conceptus *Ad*, vel debet intelligi sub exercite referendi. Unde sicut paternitas creata nullo modo existit nec exercite, nec signate, vsquedum existat terminus, & tunc iam datur exercitum referendi; pariter paternitas divina sub munere *Ad* non debet intelligi, vsquedum intelligatur existere filium, & tunc resultabit conceptus *Ad* tam in actu signato, quam in actu exercite.

*** ** *
*** ** *

Tertia ratio pro nostra conclusione.

73 **P**robatur tertio nostra conclusio ratione: Ideo persona Patris debet constitui per conceptum *Ad*, quia sine illo nequit intelligi, nec oppositio expressa relativa inter personas, nec distinctio inter illas; sed hæc ratio est nulla: ergo non debet constitui per conceptum *Ad*, sed per conceptum *In*. Maior continet præcipuum fundamentum Adversariorum. Minor probatur: Pater per suam consubstantivam persona e, nempe per paternitatem, distinguitur realiter à Spiritu sancto; & tamen per paternitatem non dicit oppositionem formalem & expressam relativam cum Spiritu sancto: ergo non requiritur inter Patrem & Filium oppositio expressa, & formalis relativa, ut deur distinctio realis inter illos. Consequentia prima etiam liquet: nam conceptus *In* est magis intrinsecus cum oppositioe relativa formali & expressa proveniente à conceptu *Ad*, quam paternitas cum spiratione activa; cum conceptus *In* & *Ad* eisdem paternitatis pertineant ad eandem indivisibilem lineam, sintque ob hanc causam ex parte obiecti eadem indivisibilis formalitas absque distinctione virtuali; & paternitas & spiratio activa pertineant ad diversas lineas, sintque ex parte obiecti dug formalitates: ergo si paternitas distinguitur realiter à Spiritu sancto, quin ex se exprimat oppositionem relativam formalem, priori titulo hoc debet asseri de conceptu *In* paternitatis.

74 Hęc ratio male torquet Adversarios. Sed veillam effugiant: Respondent primo, Patrem ut Patrem distingui realiter à Spiritu sancto; sed hæc distinctio provenit tanquam à forma à spiratione activa, non vero ab ipsa personalitate, seu paternitate. Unde Pater ut Pater solum distinguitur ut quod à Spiritu sancto; forma tamen tribuens distinctionem est spiratio activa. Cum quo optime componitur, quod Pater distinguitur realiter à Spiritu sancto, & consequenter paternitas (cum in divinis abstraham & concretum sint idem) & quod hæc distinctio provenit vnicè tanquam à forma à spiratione activa, ratione cuius exercet oppositionem formalem relativam cum Spiritu sancto.

Sed hæc evasio faciliè refellitur: Nam omnis persona inquantum talis ex genere est incommunicabilis cuicumque alteri personæ: ergo per formam, qua constituitur in ratione personæ. Probatur consequentia: Tum, quia hæc ratioe nostri Thomistæ, & cum illis N. Salm. tract. de Incarnat. disp. 9. dub. 1. asserunt, nullam personam divinam secundum propria ipsius posse communicari personæ creatæ, licet cum

illa non habeat oppositionem relativam. Tum etiam: nam forma constituens personam in ratione personæ facit illam incommunicabiliter subsistentem; cum de ratione illius (præcisè alijs) sit, quod sit Rationalis nature individua substantia incommunicabiliter subsistens. Tum denique: nam si persona Patris non redditur distincta & incommunicabilis formaliter Spiritui sancto ratione sue proprietatis personalis, sed ratione spirationis activæ, quæ facit distinctos Patrem & Spiritum sanctum; pariter quis potest dicere, quod subsistens ut quod in natura divina pro priori ad relationes per subsistentiam absolutam foret distinctum à Filio, & Spiritu sancto ratione paternitatis, & spirationis activæ illi supervenientium; hoc est hereticum: ergo dicendum, quod distinctio ita exercetur inter personam Patris & Spiritum sancti, quod hæc distinctio proveniat tanquam à forma à suis proprietatibus personalium. Probatur sequela: nam non est ratio, quare persona Patris ratione personalitatis non sit incommunicabilis, & distincta à Spiritu sancto, & reddatur in se incommunicabilis & distincta per aliquid illi superveniens, & oppositum formaliter relative Spiritui sancto, & quod subsistens ut quod pro priori ad relationes non possit hoc habere: nam sicut subsistentia absoluta ratione sui non est opposita Filio; sic paternitas non est opposita iuxta hæc evasione in Spiritu sancto, & nihilominus spiratio superveniens Patri facit per modum formæ distinctam in se personam Patris à Spiritu sancto: ergo etiam paternitas facit distinctum suppositum absolutum in se à Filio, eisdem subsistentia absoluta non sit opposita Filio.

75 Vergetur amplius contra ipsam solutionem: Distinctio realis Patris à Spiritu sancto non exercetur (secundum hanc solutionem) solum inter Spiritum sanctum, & spirationem activam residentem in Patre, sed etiam inter Patrem ut personam, & Spiritum sanctum; sed distinctio personalis nequit provenire tanquam à forma à spiratione activa: ergo debet provenire ab ipsa paternitate. Minor probatur: Tum, quia distinctio personalis nequit provenire à forma, quæ non est personalitas; sicut distinctio inter substantias nequit provenire tanquam à forma ab aliquo accidente; sed spiratio activa non est personalitas Patris, ut pronuncie supponimus cum Adversarijs: ergo nequit provenire à spiratione activa. Tum etiam: nam si est distinctio personalis, pro priori ad spirationem activam intelligitur incommunicabilis; cum hoc sit definitio personæ ut talis & alias intellecta persona Patris, & non intellecta spiratione activa, non intelligeretur incommunicabilis, nec distinctio: ergo distinctio non provenit à spiratione activa, quæ concipitur per modum accidentis respectu Patris. Tum denique: distinctio personalis debet provenire à forma, quæ est propria illius

illius personæ, & non à forma communi: nam sicut distinctio est inter predicata specialia, etiam forma debet esse specialis; sed spiratio activa non est Patri specialis: ergo per illam non distinguitur personaliter à Spiritu sancto. ¶ *Adde*: Per illam formam distinguitur à Spiritu sancto, per quam constituitur vna in se, & divisa à qualibet alia; sed constituitur vna persona per paternitatem: ergo distincta per illam à Spiritu sancto, Probatur minor: Nam vnitatis, & distinctio sunt passionis entis, itaut nec virtualiter adequatè distinguantur ab ente, eò quod est ens transcendens transcendentia rationis; sed paternitas non distinguitur virtualiter à Patre, spiratio vero distinguitur: ergo per paternitatem constituitur vna in se, & distincta à Spiritu sancto.

76 Adhuc vigentius impugnatur prædicta solutio: Nam conceptus *In* paternitatis magis intimus est paternitati, quam paternitas spirationi activæ, ut admittere debent Adversarij; cum paternitas & spiratio activa distinguantur virtualiter adequatè, & conceptus *In* & *Ad* tantum inadæquatè; sed, hoc non obstanti, spiratio activa facit Patrem ut Patrem distinctum & incommunicabilem Spiritui sancto: ergo conceptus *Ad* etiam facit distinctum & incommunicabilem conceptum *In* paternitatis Filio. Totus syllogismus videtur plausus. Tunc sic, sed hoc sufficit, ut conceptus *In* sit constitutivus personæ Patris: ergo, Probatur minor: Tum, quia ille conceptus est constitutivus, qui primò est distinctus & incommunicabilis. Tum etiam: Paternitas enim est constitutiva personæ Patris ad huc in ordine ad Spiritum sanctum, cum sit illi incommunicabilis primò; & tamen (iuxta hanc solutionem) redditur incommunicabilis, & distincta ratione spirationis activæ: ergo potiori titulo de conceptu *In* hoc debet verificari.

77 Secundo respondere possunt Adversarij (& quidem consequentius) Patrem ut Patrem, seu ut personam non distingui realiter à Spiritu sancto: eò quod non dicit cum illo oppositionem relativam nisi cum Filio; & in divinis non datur distinctio realis nisi inter ea, vbi intrinsecè & exercitè datur oppositio relativa: quapropter sicut hæc oppositio formaliter exercetur inter spirationem activam residentem in Patre & Filio, & inter Spiritum sanctum, sic exercetur præcisè distinctio.

Hęc solutio nullo modo queit sustineri: quia sapit heresim. Tum, quia opponitur symbolo D. Athanasij, vbi dicitur: *Alia est enim persona Patris, alia Filij, alia Spiritus sancti*: ergo opponitur D. Athanasio, qui adheret, Patrem ut Patrem non distingui à Spiritu sancto; quia Pater ut Pater sit persona. Tum etiam: cum P. I. Ioann. 5. dicitur: *Tres sunt, qui testimonium dant in celo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus*: ergo Pater ut Pater, &

Verbum ut Verbum &c. sive tres res; sed hoc non componitur cum eo, quod Pater ut Pater non distinguitur à Spiritu sancto: ergo. Tum denique: quia similia verba habentur in Synodo 6. gener. act. 11. vbi dicitur: *Sanctissima Trinitas innumerabilis facta est personarum subsistentijs*; sed subsistentia personales sunt præcisè paternitas, filiatio, & spiratio passiva, non vero activa, alijs darentur quatuor personæ: ergo distinctio exercetur inter ipsas personas.

78 A triplici ratione impugnatur hæc solutio. Prima est. Personalitates constitutive trium personarum in ratione talium sunt tres res; sed hoc nequit admitti, nisi distinguantur realiter inter se: ergo cum Pater in ratione personæ constituitur per paternitatem, & Filius per filiationem, & Spiritus sanctus per spirationem passivam, planè inferur, proprietates personales esse distinctas realiter inter se. Maior constat ex D. Anselm. lib. de Incarnat. cap. 3. vbi inquit: *Omnes christianos sentire personas divinas secundum propria & personalia esse tres res sed secundum essentiam esse unam rem*. Similia habet D. Thomas in 1. dist. 25. quest. 1. art. 4. vbi ait: *Secundum hoc dicimus, quod Pater, & Filius, & Spiritus sanctus sunt tres res, non tantum in anima, sed etiam extra animam*. Minor probatur: De essentia & relatione nequit verificari, quod sunt duæ res, ut coulat ex D. Anselm. non alia ratione, nisi quia non distinguntur realiter: ergo.

Secunda est: Hic datur quatuor relationes, non dicuntur quatuor res; sed hoc ideo est, quia spiratio activa non distinguitur à Patre & Filio, eisdem distinguitur à Spiritu sancto: ergo. Tertia est. Hucusque inauditum est, quod Pater est Spiritus sanctus, & Spiritus sanctus habet filiationem: ergo distinguntur realiter ut personæ. Probatur consequentia: Nam si Spiritus sanctus non habet filiationem, filiatio distinguitur realiter à Spiritu sancto: ergo distinguntur ut personæ. Probatur antecedens: Tum, quia est incommunicabilis; sed incommunicabilitas in divinis est signum distinctionis realis: ergo. Tum etiam: quia separabilitas, & multo magis actualis separatio est signum distinctionis realis: sed si filiatio non est communicabilis Spiritui sancto, est separata ab illo: ergo.

Confirmatur: Si persona Patris & Filij in quantum tales non distinguerentur realiter à Spiritu sancto, sequitur, quod nec Spiritus sanctus distinguitur à spiratione activa; hoc non est dicendum; cum destruat eius processionem: ergo. Probatur sequela: nam quando processionem non distinguntur realiter inter se ratione adminis alicuius conuotati, non datur locus processionis; sed si Pater & Filius ut tales non distinguntur realiter à Spiritu sancto non datur distinctio ex parte processionum, nec quoad

quoad reatum, ut supponitur, nec quoad connotatum: ergo, Tum quia spiratio activa non distinguitur a Patre & Filio, Tum & quia nec principium quod, nempe Pater & Filius, distinguere- tur a Spiritu sancto: ergo nec Spiritus sanctus distingueretur a spiratione activa.

§. V.

Solutio argumentorum sententia contrarie.

79 **A**rgumentum desumptum ab authoritatibus adeo futile est, & obscurum pro contraria sententia, ut indignum iudicemus Theologi Thomistę: & idem ab eo abstinemus. Argumenta verò a ratione petita licet aliquam apparentiam habeant, habent tamen facilem responsionem, scilicet eorum plana solutio reddat sententiam nostram probabiliorē: quapropter eorum enodatio erit nostram ultimam fundamentum. Igitur:

Arguitur primò: Paternitas solum distinguit Patrem a Filio per manus *Ad*: ergo manus *Ad* constituit Patrem in ratione *personę*. Antecedens probatur: Per manus *Ad* constituit illum substantiam incommunicabilem Filio: ergo per illud distinguit Patrem a Filio. Antecedens probatur: nam per illum conceptum constituit illum substantiam incommunicabilem Filio, per quem illum constituit relative oppositum Filio; sed per conceptum *Ad* constituit Patrem relative oppositum Filio, ut ex se constat: ergo per *Ad* constituit Patrem substantiam incommunicabilem Filio. Maior probatur: nam in divinis non est alia ratio incommunicabilitatis præter oppositionem relativam, omnia enim sunt unum, nisi ubi obest oppositio relativa.

80 Nec refert, si dicas, per conceptum *In* Patrem reddi incommunicabilem Filio, & oppositum relative, non formaliter expresse, sed initiative, connexive, & radicaliter: ad quod conducit, quòd prædictus conceptus sit formaliter relativus. ¶ Non (inquam) refert: Nam ex hac solutione sequitur, quòd per conceptum *In* tantum distinguitur a Filio implicite, subtractive, & connexive, non verò formaliter: ergo solum per conceptum *Ad* distinguitur formaliter & expresse a Filio: ergo per hunc conceptum debet constitui. Pater hęc ultima consequentia: quia per illum conceptum constituitur formaliter & expresse, per quem formaliter & expresse distinguitur, cum constitutum & distinctivum sin idem: imo eo modo, quo est distinctivum, debet esse constitutum. Sequela verò probatur: nam per conceptum *In* non opponitur formaliter & expresse relative: ergo nec formaliter & expresse distinguitur.

Addo primò: Quia intelligibile est, prædictum conceptum *In* esse expresse & formaliter relativum, si expresse & formaliter non re-

fert: sed in nostra sententia prædictus conceptus non refert: ergo nec formaliter & expresse est relativus. ¶ Adde secundò: Nam si in signo constitutionis non intelligitur oppositio formalis relativa, nec pro illo signo potest intelligi Filius; sed hoc ipso nequit intelligi distinctio relativa: ergo per conceptum *In* nequit intelligi constitutum. Probatur minor: nequit intelligi distinctio relativa a Filio, si non intelligitur Filius; ut est terminis patet.

81 Ad hoc argumentum responderet, quòd est per conceptum *Ad* Pater constituitur ultimè oppositum relative Filio; per conceptum tamen *In* constituitur initiative oppositum Filio: quia iste conceptus est talis conditionis, ut taliter respiciat subiectum, quòd non sinit positive in eo, nec positive excludat conceptum *Ad*, sed illud initiative trahat ad terminum, ut tangit solutio inter arguendum insinuat; licet quando concipitur ordo ultimatus ad terminum, concipiatur iam expresse conceptus *Ad*. Illa autem oppositio relativa initiativa sufficit ad incommunicabilitatem formalem, & ad distinctionem icidem formalem, & consequenter ad constitutionem formalem.

Nec contra hanc solutionem vim habet replicata: Nam ex eo, quòd Pater per conceptum *In* relativum non opponatur relative formaliter, expresse, & ultimè, non sequitur non distingui per illum formaliter & expresse: quia hoc solum habet vim in relatione divina, prout concipitur ad quate per nostros conceptus perfectos; non verò si concipitur inadquate connotative ad personam & relationem creatam. Imo adhuc in relatione creata contemplari sumus disp. 2, num. 63, præter *In* absolutum duplex aliud manus formaliter relativum, nempe *In* & *Ad*, quę munera in hoc distinguuntur, quòd primam non respicit pro expresse terminum, quia hoc præstat per conceptum *Ad*. Nec ob hoc desinit esse formaliter relativum: quia ad hoc sufficit, tum quòd positive non sinit in subiecto, tum quòd positive non excludat ordinem ad terminum: tum denique, quòd implicite dicat conceptum *Ad*.

82 Per quod constat ad primum additamentum: Non enim requiritur ad omnem conceptum formaliter relativum, quòd pro expresse ordinetur ad terminum: nam de essentia relationis, ut relatio est, non solum est respicere terminum, quod facit per conceptum *Ad*, sed etiam respicere subiectum, quod fit per conceptum *In*: & certum est, omnes conceptus formales alicuius formę esse tales formaliter sicut ipsas formas. ¶ Ad secundum additamentum: Responderet concedendo maiorem; sed negando minorem. Nam opinio intelligitur distinctio formaliter relativa, quia intelligitur formaliter Filius: nam ad distinctionem vnius personę a qualibet alia, & ad distinctionem formalem

rela-

relativam persona relative a quacumque alia persona relativa, sinit perfectas relativa primę personę, & quòd alia quęcumque persona tunc intelligatur vagę, ut ab ea exclusa: non verò requiritur, quòd persona, a qua distinguitur, sit respectu formalissimę. Et hoc concedere debent Adversarij: dum fatentur, quòd pro signo constitutionis Pater exercit non refertur ad Filium, unde entitas filiationis est post generationem: quod suadet, Filium non intelligi pro signo constitutionis adhuc signate.

83 Arguitur secundò: Nam sub eo conceptu paternitas constituit Patrem in ratione *personę*, sub quo constituit illum in ratione *Patris*; sed per conceptum *Ad* constituit illum in ratione *Patris*: ergo etiam in ratione *personę*. Minor est evidens: nam Pater ut Pater expresse constituitur per ordinem ad Filium, ut ad sui expresse correlativum. Maior verò probatur: Nam de constitutivo Patris loquimur in hoc dubio non in communi, sed ut talis persona est, nempe in eo sensu quo canit Ecclesia, *Alia est persona Patris, alia Filij &c.* nec habent alia nomina, quibus prædictę personę significentur ut distinctę præter nomina *Patris, Filij, & Spiritus sancti*. Nisi mavis dicere, quòd persona Patris pro signo constitutionis est innominata, sicut processio Spiritus sancti dicitur *innominata*, quia ad cam significandam utimur solum nomine communi.

Responderet negando mai. Nam Pater, & Filius, & Spiritus sanctus non solum distinguuntur ut Pater, & Filius &c. sub quibus rationibus iam explicat expresse suam mutam correlationem & conceptum *Ad*, sed etiam distinguuntur per paternitatem & filiationem, ut explicat esse rationes incommunicabiliter subsistendi, quę rationes sunt ex se & pro expresse satis diversę: quę explicari possunt per hoc, quòd paternitas sit talis ratio incommunicabiliter subsistendi, ut necessario connotet non produci ab aliquo per realem processionem, & sic per hoc explicatur esse primam personam: filiatione taliter tribuat incommunicabiliter subsistere, quòd natura connotet generationem: & taliter spiratio passiva tribuat incommunicabiliter subsistere, ut connotet processionem per voluntatem. Sic sic Pater per conceptum *In*, qui est ita individuatus sicut conceptus *Ad*, iuxta dicta num. supra citat. & reddit Patrem incommunicabiliter subsistentem, concipitur ut distinctus a Filio, sicut prima persona a secunda, absque eo quòd expresse concipiatur conceptus *Ad*, seu ut Pater.

84 Arguitur tertio: Persona divina non potest constitui per aliquid absolutum quoad expresse: sed si Pater in ratione *personę* constitueretur per conceptum *In* constitueretur per conceptum absolutum saltem quoad expresse: ergo nequit per illum constitui. Maior est certa:

nam distinguitur relative quoad expresse: nequit ergo constitui per aliquid absolutum quoad expresse. Minor probatur: Ille conceptus quoad expresse dicitur absolutus; qui præcindit quoad expresse a conceptu *Ad*; sed conceptus *In* præcindit quoad expresse a conceptu *Ad*: ergo constitueretur per conceptum absolutum quoad expresse. Maior probatur: tum quia ideo albeo essentialiter est quid absolutum, quia absolute absolvitur a relatione similitudinis. Tum etiam: nam licet conceptus *essentia & natura* in divinis sit ex parte obiecti idem formalissimus conceptus; ut tamen concipitur conceptus *essentia* ut distinctus a conceptu *natura*; nequit dici pro expresse conceptus *natura*: et ergo nec conceptus *In* potest dici quoad expresse *relativus*; ac proinde hoc modo erit absolutus.

Responderet distinguendo maiorem: Non potest constitui per aliquid absolutum quoad expresse ex modo significandi, nego mai. ex parte rei significatę, concedo mai. Et distincta eodem modo minori, negatur consequentia. Nam aliud est, quòd conceptus *In* ut constitutus versus personę significetur ad modum absoluti: aliud verò, quòd sit in se absolutus adhuc præcisus a conceptu *Ad*. Primum est verum: quia ad hunc modum significandi, ut supra vidimus ex D. Thoma, sufficit, quòd persona divina & eius constitutum concipiatur adistat personę creatę, quę positive est per se, & ad se cum exclusione respectus ad aliud. Secundum verò est falsum: nam esse non potest ordinem positivum ad terminum, illum non excludit: non enim repugnat, quòd conceptus alicuius formę relative ex vna parte non sit conceptus expresse respiciendi, & quòd non sit conceptus expresse in ordine ad se. Quod potest explicari exemplo ipsius paternitatis comparative ad Spiritum sanctum: quę pro expresse non est absoluta, est pro expresse non respiciat Spiritum sanctum. Et hoc magis urget in conceptu *In* formaliter relativo ipsius paternitatis, quàm in exemplo allato, ut cuiuslibet cordato constabit. Potestque iterum explicari exemplo alicuius formę absolute transcendentaliter respectivę: quę secundum omnem sui conceptum est in ordine ad subiectum; & nihilominus, quatenus respicit obiectum extrinsecum, nec est formaliter relativus; nec exprimit ordinem ad subiectum.

85 Nec contra hanc solutionem urget illę dux probationes. Non prima, desumpta ab exemplo albedinis: Ideo enim albedo est quid absolutum, quia positive excludit tam quoad implicitum, quam quoad explicitum omne relativum: quoad de conceptu *In* nec in sententia contraria potest verificari. Nec secunda, desumpta ab exemplo essentia & naturę divinę: Nam verum est, quòd conceptus *essentia*; ex

mqe

modo imperfecto concipiendi distinctus à conceptu naturæ sub munere *radicis*, quoad expressum non est conceptus naturæ sub munere *radicis*: Sed hoc ideo est, quia natura divina partitur per nostros conceptus imperfectos in hos duos conceptus inadæquatos, de quorum ratione est, supposita hac divisione, quod unus pro expresso non sit alius; quod si libenter concedimus. Sed quid inde contra nos? Solum enim insertur, quod conceptus *In* formaliter relativus non sit pro expresso conceptus *Ad*: non verò quod pro expresso sit absolutus, & non relativus: Nam sicut natura divina adæquate sumpta partitur per nostros conceptus imperfectos in duo munera inadæquate se invicem (vt sic dicamus) excludentia pro expresso; sic conceptus formaliter relativus partitur etiam in alios duos conceptus formaliter relativos inadæquatos se invicem pro expresso excludentes, nempe *In* & *Ad*; taliter quod sicut ille duplex conceptus formaliter est natura divina; sic iste duplex conceptus relationis est formaliter relativus.

86 Arguitur *quartò*: Nam vel conceptus *In* non est personæ constitutivus, vel debet esse, vt stat sub conceptu *Ad*. Tum, quia uterque debet fundari in actione; cum uterque sit formaliter relativus, & de illis relationibus, quæ fundantur in actione & passione: ergo vel uterque debet præcedere generationem, vel nullus debet illam antecedere. Tum etiam: Nam omni relativo debet pro illo signo correspondere terminus expressus, exercitus, & existens; cum de natura relativorum sit esse simul cognitione; sed hoc ipso iam concipitur munus *Ad*: ergo. Tum denique: Nam implicat formam communicari subiecto capaci, & non communicari secundum omnem sui formalitatem; sed pro signo antecedenti generationem communicatur paternitas, & constituit Patrem in ratione *personæ*, & nihil obstat ei, vt communicetur secundum omnem sui formalitatem, aliàs daretur limitatio: ergo pro eodem signo communicatur *Ad*.

Confirmatur *primò*: Conceptus *Ad* in esse relativo est actualior & formalior, quam conceptus *In*: ergo non stat, quod conceptus *In* sit constitutivus, & conceptus *Ad* sit extra constitutum. Probatur consequentia: Quod est formalis & actualius in aliqua linea, etiam est constitutum principalis in tali linea; & hac ratione in nostra sententia intellectio actualis est principalis constitutum naturæ divinæ, quia nimirum, est conceptus actualior & formalior in linea intellectiva, quæ est in Deo prima: ergo si conceptus *Ad* est formalior, & actualior in paternitate, etiam est principalis constitutum Patris in ratione *personæ*.

Confirmatur *secundò*: Si conceptus *Ad* non antecedat generationem, sequitur, quod fundetur in actione; sed hoc nequit dici de *Ad*

paternitatis: ergo antecedit illam. Minor probatur: Nam paternitas adhuc secundum munus *Ad* est ingenta: ergo nequit fundari in actione. ¶ Nec valet, si dicas, quod vt sit adæquate ingenta, sufficit, quod secundum munus *In* præcedat generationem. ¶ Nam contra est, *Primo*: quia de ratione relationis ingentæ inquantum *talis*, est, quod antecedat generationem; sed paternitas secundum munus *Ad* etiam est ingenta: ergo. ¶ *Secundò*: Nam principalis est in paternitate munus *Ad*, quam munus *In*: ergo si munus *In* facit, quod paternitas denominetur absolute *ingenta*, posteriori titulo munus *Ad* faciet, quod absolute sit fundata in actione, & non denominetur *ingenta*.

87 Ad hoc argumentum respondetur negando assumptum, in sensu quo procedit questio. Et ad primam eius probationem (missa solutione quam tradunt Caeter. Ioannes & Sanctus Thoma quoad exercitium referendi: & N. Salm. Godoy; Gonet, Lardito, & alij de conceptu *Ad*, qui asserunt, secundum propriam vniuersiuseque sententiam, conceptum illam, qui subsequitur generationem, fundari in actione, & ab illa procedere: ex quo inseritur, paternitatem secundum illum conceptum, seu adæquate sumptam, non esse ingentam.)

Respondetur, paternitatem divinam nec secundum conceptum *In*, nec secundum *Ad* proprie fundari in actione, sive concipitur per nostros conceptus perfectos, vt à Beatis: sive concipitur inadæquate per conceptus nostros imperfectos. Nam hac est differentia inter paternitatem divinam & creatam, quod hæc ultima est accidens supponens adæquate personam generantem, & est totaliter producta per actionem generativam; ideoque taliter præsupponit actionem, vt in illa fundetur. At paternitas divina est substantia, imò est substantia faciens subsistere per se incommunicabiliter, constituitque personam Patris in ratione primi, & fontalis principij quod, omninoque ingenti ad duas processiones divinas; & ideo non petit fundari in actione. Licet hæc ipsa paternitas aliter consideretur, dum concipitur à Beatis, vel à nobis per conceptus perfectos; & aliter dum concipitur per conceptus imperfectos: Nam in primo sensu ita fundatur in actione, quod simul præcedat generationem secundum omnes sui formalitates. In secundo verò sensu aliter se habet: nam secundum conceptum *In* nec fundatur, nec supponit actionem; at secundum conceptum *Ad* supponit quidem actionem; non tamen proprie fundatur in ea: nam sufficit, quod illam connoret præexistere per modum conditionis, vt intelligatur dimanare à natura, & à paternitate secundum conceptum *In*. Et hoc modo debet interpretari Div. Thomas, si aliquando ait: *Quod relatio inquantum huiusmodi fundatur supra actum.*

Iuxta

Iuxta hanc solutionem patet differentia, quam habet paternitas divina ab omni relatione creata, & à relationibus divinis productis. De differentia à relatione creata iam diximus: de differentia à relationibus divinis productis, vt sunt filiatio, & spiratio passiva, idem proportionabiliter dicimus, ac de paternitate creata: nam etiam illæ relationes, vt potè adæquate productæ, non solum præsupponunt actiones secundam utrunque conceptum, verum & proprie fundantur in illis. Paternitas verò divina est adæquate improducta: vnde sive concipitur perfecte, sive imperfecte pro hoc statu nequit proprie fundari in actione secundum aliquem sui conceptum: aliàs possemus affirmare, quod sicut filiatio est ob hanc rationem producta, sic conceptus *Ad* paternitatis esset stricte productus; quod nullo pacto potest admitti. Per quod constat ad primam probationem.

88 Ad secundam respondetur, negando maiorem. Neque probatio ibi inserta aliquid convincit: Nam de natura relativorum solum est esse simul natura & cognitione, si concipiantur adæquate, seu secundum propriissimum sui conceptum, nempe *Ad*, non verò si concipiantur inadæquate, & præcise secundum conceptum *In*: nam eo modo, quo persona præintelligitur generationi, præintelligitur eius termino. Nisi velis dicere, quod cum hac similitudine in natura, & cognitione optimè componitur, quod Pater per conceptum *In* sit prior origine, quam origo vt terminatur ad Filium, vt est secunda persona incommunicabiliter subsistens; & iterum ipse Pater secundum conceptum *Ad* est prior origine, quam generatio ipsius filij secundum conceptum *Ad*.

Ad tertiam respondetur, quod Pater est capax recipiendi omnem effectum formalem ipsius paternitatis, sed non pro omni signo; maxime si ad aliquam formalitatem requiratur aliqua specialis dispositio, quæ non requiritur ad aliam. Sic videmus, quod gratia vt auxilians prius intelligitur recipi in anima, quam vt *instructiva*: quia ad hanc formalitatem requiritur vt dispositio actus charitatis, vel contritionis, qui effectivè proveniunt ab ipsa gratia vt auxiliante. Similiter anima rationalis prius communicat gradum corporis physici organici, quam gradum vitium rationalis, inter quos mediant aliqua dispositiones realiter distinctæ, est in se fit omnino indivisibilis. Et vt ad rem magis accedamus, & simul præoccupemus quandam replicam: inter electionem, & vsum divinum mediat prudentia, quæ est ex parte rei conceptæ præcedat simul electionem & vsum in Deo; ex parte tamen imperfecti nostri modi concipiendi electio præcedit prudentiam, & prudentia vsum: sed inter electionem & vsum non datur distinctio virtualis, bene verò inter prudentiam, electionem, & vsum: Sic ergo con-

Paul. Theol. Salm. Tom. II.

tingit in paternitate, quæ est adæquate recipiatur in Patre, & ex parte rei conceptæ ante generationem; at iuxta modum in periculis concipiendi conceptus *Ad* petit vt conditionem indispensabilem generationem, quæ mediet inter *In*, & *Ad*. Unde pro illo priori non intelligitur capax saltem negativè illam recipiendi adæquate.

89 Ad primam confirmationem (quæ pariter urget contra sententiam contrariam; cum exercitium referendi sit actualius in relatione, quam seipsa signatè sumpta, vt ex se patet) Respondetur, ad principalitatem constitutivè formalis requiri expressionem formaliorē in illo ordine, seu linea in qua constituit. At est relatio secundum munus *Ad* sit formalior in vi referendi; in ratione tamen formæ hypotheticæ expressio est conceptus *In*: Unde est conceptus *Ad* pro implicito imbutur in constitutivè personæ divinæ; directius tamen requiritur ad munus formæ hypotheticæ conceptus *In*. Quod potest declarari hoc exemplo: Nam subsistentia absoluta Dei, & eius intellectio primordialis pertinent ad eandem lineam, & intellectio, vt potè posterior & vltima actualitas, est actualior quam subsistentia: & tamen subsistentia, vt constituit principium quod operationum, & facit sibi per se, expressior est quam intellectio, quia nimirum ad hoc non requiritur maior actualitas, sed illa quæ se habet per modum perfecti. Unde intellectio principalis ingreditur ad constitutionem essentie, quatenus essentia consideratur in ratione *perfectæ & actus*; sed ad rationem essendi per se principalis intrat subsistentia. Vide insuper N. Salm. tract. 11 disp. 6. n. 65. & tract. 13. disp. 6. n. 56. vbi optimè ex D. Thoma elucidant, posse aliquid esse formalius alio, & non constituitur essentiam in illa linea. Ultima confirmatio soluta manet ex dictis num. 87. quin sit necesse aliquid addere.

90 Sed contra doctrinam in his solutionibus traditam: Obijciunt *primò*: Nequit relatio in aliquo signo concipi sine conceptu essentiali, sicut nequit homo concipi, sine eo quod concipitur vt *rationalis*; sed essentia relationis est: *Cuius totum suum esse est ad terminum*, quod est iam exprimeret conceptum *Ad*: ergo in signo constitutionis nequit non concipi conceptus *Ad*. ¶ *Explicatur*: Nulla res potest concipi sine suo specificativo; sed specificativum paternitatis est filiatio: ergo nequit Pater vt *persona* concipi in aliquo signo sine Filio: ergo nec sine conceptu *Ad*.

Secundò: Nam iuxta solutionem & doctrinam à nobis tradendam à num. 145. sequitur, Patrem in ratione *personæ* non distinguere realiter formaliter à Filio pro conceptu *In*: sed hoc est contra dicta in toto hæc dub. vbi distinctionem personarum in ratione *saltem*, maxime Patris & Filij, asserimus esse formaliter

M

& expressam: ergo vel illa doctrina est falsa, vel Pater in ratione persona non constituitur per conceptum *In*. Probatur mai. Nam iuxta illam doctrinam persona eodem modo distinguitur, ac opponitur; sed per conceptum *In* non opponitur formaliter pro expresso nedum Spiritui sancto, verum nec Filio: ergo. Ex quo inferitur, quod nec constituit formaliter personam; cum constitutum & distinctivum sint eodem modo.

Ad primam objectionem respondetur, quod si relatio concipiatur adæquate, debet concipi cum conceptu essentiali adæquato; non verò si concipiatur inadæquate, quia tunc sufficit, quod concipiatur cum conceptu essentiali inadæquato. Igitur relatio adæquate sumpta essentialiter importat conceptus *In* & *Ad*, & sic adæquate & perfectè concepta nequit concipi sine utroque conceptu: Inadæquate tamen considerata non importat utrunque conceptum, sed tantum unum *In*: unde si hoc modo concipiatur, debet concipi sine conceptu *Ad*; non tamen sine conceptu essentiali inadæquato. ¶ Nec huic obest probatio ibi inserta. Nam vt verificetur, quod de essentia relationis est totum suum esse ad terminum, sufficit ad illam esse vel formaliter, vel connexive, & initiative; non verò requiritur, quod secundum omnem sui formalitatem sit formaliter ad terminum. Per quod consistit ad maiorem illam explicationem. Nam duplex est specificativum inadæquatum relationis, nempe, subiectum, & terminus: si ergo concipiatur adæquate, debent concipi subiectum & terminus; si verò inadæquate, sufficit, quod concipiatur eius specificativum inadæquatum, nempe, subiectum: licet in hoc ultimo non sistant, sed expectet aliud expressius specificativum in termino per conceptum *Ad*.

Ad secundam respondetur, sustinendo prædictam solutionem. Et ideo dicendum est, quod eodem modo concipitur distinctio, ac oppositio; sed non eodem modo distinctio, & constitutio. Distinctio enim inter Patrem & Spiritum sanctum est tantum radicalis, sicut oppositio; sed constitutio illorum in ratione persona est formalis: siquidem in nulla sententia spiratio activa, à qua provenit oppositio formalis cum Spiritu sancto, est constitutiva Patris. Sed adhuc iuxta hunc modum discurrendi invenimus magnam disparitatem inter prædictum exemplum; & rationem, de qua agimus. Nam ibi intervenit diversitas in relationibus paternitatis, & spirationis activæ ex parte rei conceptæ ad constituendum, & ad referendum. Vnde non mirum, quod oppositio & distinctio sit radicalis, & constitutio sit formalis: hoc enim solum habet locum in personis divinis hoc modo oppositis. At in re, de qua agimus, aliter res contingit: cum conceptus *In* sit de linea paternitatis: quare eodem

modo debet concepti constitutum & distinctivum, licet non eodem modo oppositio.

¶ Tandem insurgens contra dicta: Sequitur ex illis, quod ex modo concipiendi constituitur Pater per conceptum absolutum: nam conceptus *In* ex modo significandi est absolutus iuxta dicta in hac disp. n. 62. hoc videtur falsum: ergo, ¶ Respondetur, aliud esse concipere paternitatem secundum conceptum *In*, vt præcisum à conceptu *Ad* prout est in se; aliud verò connotative ad personam creatam. Licet ergo connotative ad personam creatam conceptus *In* concipiatur vt absolutus, ex quo oritur, quod ex modo significandi sit absolutus; & ex parte rei significatæ adhuc præcisus à conceptu *Ad* est formaliter relativus, vt sæpius diximus: & facillime potest instari in sententia contraria, vt consideranti constabit.

DUBIUM IV.

Utrum Verbum divinum procedat ex cognitione omnium, quæ sunt formaliter in Deo?

Dicendum est, de persona Filij, inquit Mag. Ang. in præmio quest. 34. huius 1. part. Et quod potissimè occurrit disputandum circa Verbum divinum est, an procedat per se ex cognitione omnium divinorum, & creaturarum: Quæ præstamus sub unico dubio, quamvis exigebant longissimam disputationem. Pro quo sit:

§. I.

Sententia Thomistarum.

92 **D**icendum est, Verbum divinum procedere per se ex cognitione omnium, quæ sunt formaliter & necessariè in Deo. Hanc sententiam tenent omnes discipuli D. Thomæ, & ex extraneis Suarez, Arrubal, & alij. Et probatur primò auctoritate D. Thomæ in hac 1. part. quest. 34. art. 1. ad 3. vbi ait: Pater intelligendo se, & Filium, & Spiritum sanctum, & omnia alia, quæ in eius scientia continentur, concipit Verbum, vt sic tota Trinitas Verbo dicatur. Alia plura testimonio præcedenti adduci, quibus probat Ang. Mag. impossibile esse, Beatum videntem Deum, sicuti est, videre aliquid, & aliquid non videre: Sic 2. 2. q. 2. art. 8. ad 3. & 3. p. q. 3. art. 3. Ex quibus deprimatur efficax argumentum: Si enim creatura, in instanti quo videt essentiam, nequit non videre attributa & personas, quia aliquid sunt Dei, quanto magis Deus, qui videt seipsum perfectiori modo, cognosceret omnia, quæ sunt formaliter in Deo? sed Verbum divinum procedit ex cognitione, quæ Deus videt seipsum: ergo procedit ex cogni-

97 **D**ub. IV. Utrum Verbum divinum procedat ex cognitione omnium &c. 97
tione; quæ videt omnia, quæ sunt formaliter in Deo.

93 Deinde probatur ratio: Verbum divinum petit per se procedere ex cognitione perfectissima, & comprehensiva Patris; at hoc nequit intelligi, quia cognoscitur paternitas: ergo procedit ex cognitione illius; sed nequit intelligi procedere ex cognitione paternitatis, quin procedat ex cognitione filiationis, & Spiritus sancti: ergo procedit ex cognitione omnium, quæ sunt formaliter in Deo. Maior admittitur ab Adversarijs. Minor autem probatur: Nequit dari comprehensio Patris, nisi cognoscantur omnia, quæ sunt formaliter in Patre; sed in Patre est paternitas, vt ex se liquet: ergo nequit dari cognitio comprehensiva Patris, quin cognoscatur paternitas. Minor etiam subsumpta probatur quoad primam partem: Nam paternitas & filiatio sunt correlativa; sed vnum correlativum nequit cognosci, non cognito alio: ergo paternitas nequit cognosci, non cognita filiatione. Consequentia est legitima: quia relativa prædicamentalia sunt simul natura & cognitione. Quoad secundam partem etiam ostenditur: Nequit paternitas perfectè & comprehensive cognosci, quin cognoscantur omnia, quæ formaliter includit paternitas, vel identificatur realiter cum paternitate: ergo quin cognoscatur essentia divina, attributa, & relatio spirationis activæ: sed spiratio activa & Spiritus sanctus sunt correlativa, sicut paternitas & filiatio: ergo nequit comprehensive & perfectissime cognosci paternitas à Patre, quin cognoscatur formaliter Spiritus sanctus; & consequenter ex cognitione Patris cognosci debent omnia, quæ formaliter sunt in Deo.

94 Huic rationi (estò vrgenti & efficaci) variè conatur satisfacere Adversarij, secundum diversitatem qua opponunt nostræ sententiæ: non enim est adhuc inter Adversarios vnicus modus opinandi. Nam Scotus defendit, Verbum divinum procedere per se ex cognitione essentia & attributorum, non verò ex cognitione alicuius prædicati relativi. Vnde respondet prædictæ rationi, concedendo mai. nempe, Verbum divinum procedere ex cognitione comprehensive; at per se solum petit procedere ex tali cognitione, prout cognoscit ea, quæ formaliter præintelliguntur pro priori ad productionem Verbi; quidquid sit, an cognitio hoc comprehensive attingat postea omnia alia, quæ intelliguntur pro posteriori signo. Ex quo inferitur, quod defectus non se tenet ex parte cognitionis, sed obiecti, quia non intelligitur existens. Vnde dicit, quod in illo primo signo præcedenti productionem Verbi intelliguntur essentia & attributa; non verò aliquid prædicatum relativum. Quare Verbum divinum solum petit per se procedere ex cognitione essentia & attributorum; licet, quia comprehensiva est, pe-

Paul. Thol. Salin. Tom. II.

98
tat in altero signo sequenti cognoscere alia prædicata divina. Hæc (ni fallor) est mens Scoti, & solutio communis eius Scholæ, quam aliquando audivi, præstare quodam eius discipulos.

Sed contra hanc solutionem sic insurgo. Primò: Verbum divinum debet per se procedere ex cognitione illorum, quæ intelliguntur in illo priori signo, vt concedit Scotus; sed in illo priori signo intelliguntur paternitas & spiratio activa: ergo procedit ex cognitione paternitatis & spirationis activæ; cumque correlativa sint simul cognitione, vt fatetur Scotus, planè inferitur, Verbum divinum procedere ex cognitione sui, & Spiritus sancti. Minor probatur. In signo, in quo Pater cognoscit, nequit non intelligi paternitas, cum per illam constituatur, & omnia quæ sunt in Patre, vt sunt attributa & spiratio activa, imò debent præintelligi ad cognitionem, vel productionem Verbi, eo quod se habent per modum permanentis, & productio per modum viæ: ergo in primo signo debent cognosci paternitas & spiratio activa. ¶ Secundò: Nam si Verbum procedit ex cognitione comprehensive, vel debet esse comprehensive præcisè essentia, vel debet esse etiam comprehensive Patris; sed quidquid dicitur, debet per se procedere ex cognitione filiationis: ergo & omnium, quæ sunt formaliter in illo signo. Maior conceditur ab Adversarijs. Minor verò probatur quoad primam partem: Nam nequit comprehendere essentia, quin cognoscantur omnia prædicata essentialia illius; sed esse radicem paternitatis & filiationis est prædicatum essentialia essentia, sicut in homine esse radicem intellectus & voluntatis: ergo debet cognosci in illo signo, vt est radix paternitatis & filiationis. Tunc sic; sed nequit cognosci perfectè essentia, vt est radix paternitatis & filiationis, quin cognoscatur formaliter ipsa paternitas: sicut nequit cognosci comprehensive homo, vt est radix intellectus & voluntatis, quin cognoscantur formaliter intellectus & voluntas, ergo &c. Secunda pars dilematis non indiget probatione.

95 Respondetur ex doctrina Scoti paternitatem & spirationem activam esse in illo priori signo; sed non esse intelligibiles in illo, sed in alio sequenti: quia in signo priori solum offertur cognoscendum id, quod ratione sui est intelligibile; quod non competit paternitati nec spirationi activæ, sed essentia tantum, & ratione illius paternitati &c.

Sed hoc non evacuat vim nostri ratiocinii: Tum, quia vt essentia perfectissime cognoscatur, debet cognosci quantum cognoscibilis est; sed nequit cognosci hoc modo, quin cognoscatur, vt est radix paternitatis: ergo in illo priori signo offertur vt cognoscibilis essentia divina, vt est radix illius: ergo etiam ipsa paternitas, ¶ Tum etiam: In sententia Scoti in illo signo

M 2

non